

- " *aridus* Z. Im Juni auf Bergwiesen geflogen.
- " *stigmatodactylus* Z. Im Mai auf Berglehnen nicht selten.
- " *Mannii* Z. Im Juni einige Stücke auf Bergwiesen erbeutet.
- " *lithodactylus* Fr. Im Juli in grasreichen Gebüschen.
- " *pterodactylus* L. Vom April bis August überall.
- " *microdactylus* Hübn. Im Mai und Juni auf Bergwiesen.
- " *brachydactylus* Var. *Poggei* m. Tafel 3, Fig. 16 ♂ Von *brachydactylus* durch die dunkel graubraune Grundfarbe und das grelle Weiss aller lichten Zeichnungen auf Flügel und Fransen ausgezeichnet, und wenn nicht eigene Art, doch jedenfalls eine interessante Localvarietät, die ich s. Zeit unter obigem Namen versandte. Im Juni in einer grasreichen mit Kastanienbäumen besetzten Schlucht gefangen; ziemlich selten.

Aciptilus spilodactylus Curt. Im Juni und Juli auf Marrubium, worauf auch die Raupe lebt.

- " *ischnodactylus* Tr. Im Juni auf Bergwiesen. Selten.
- " *pentadactylus* L. Vom Mai bis Ende Juli überall häufig.
- " *siceliota* Z. Im Mai und Juni auf Huthweiden einzeln vorkommend.
- " *baptodactylus* Z. Im Mai auf Berglehnen und Bergwiesen.
- Alucita palodactyla* Z. Im Mai einige aus Hecken gescheucht.
- " *polydactyla* Hb. Im Mai und Juli um Geissblatthecken gefangen.
- " *grammodactyla* Z. Im Mai auf Berglehnen Abends bei Windstille fliegend.

Tafel 3, VIII. Ab. p 173.

Lepidoptera nova Columbiae

diagnosibus collustrata a C. et R. FELDER.

Series tertia.

108. *Leptalis Cordillera* Nob.

Alis anticis supra nigro-fuscis, vittula basali maculis tribus composita, flava, luteo aspersa maculisque tribus pone cellulam (prima inter venam costalem et subcostalem), fascia subapicali maculari striolisque tribus ante marginem apicis albidis, sulphureo plus minus atomatis, posticis supra plus quam dimidio costali margaritaceo-albo, regione interna infra venam medianam

flava, margine externo a vena costali usque ad angulum internum nigro-fusco, antice tres sinus aequaliter profundos sulphureo impletos exhibente, his subtus pallide sulphureis, margine interno aurantiaco, vitta lata basali fasciaque abbreviata adhaerente pone cellulam, per venas cum excisuris marginis externi glauco maculati connexa nigrescenti-fuscis. ♂

Nova Granada, in provincia Bogotá prope Muzo. (Lindig)* — Eximia et maxima haec species *L. Orisae* Feisth. Hew. proxime accedit, sed aliae multo latiores, ad apicem minus porrectae et anticae multo magis falcatae sunt. Unicum receperimus marem.

109. *Leptalis Arcadia* Nob.

Alis supra fuscis, anticis macula mediana, fascia abbreviata pone cellulam, maculis quatuor subapicalibus sulphureo-flavis, posticis vitta subcostali abbreviata, postice truncata fasciaque infra venam medianam, pero obliqua, maculis tetragonis inter venas composita (duabus primoribus longioribus, secunda macula fusca notata), sulphureo-flavis, luteo plus minus tinctis, subtus anticis canescenti-nigris, macula magna basali albida, fascia paginae superioris, sed luteo tincta, limbo apicali margineque postico sulphureo-flavis, dense fusco variegatis, maculis duabus fundo saturationibus, basalibus, maculis duabus subcostalibus, tertia exteriore fasciaque interjecta curvata opalinis. ♀

Cordillerae Bogotanae (Lindig). — *L. Crisiae* Fabr. affinis, sed major, alis longioribus instructa. In specimine nostro ramus primus subcostalis alarum anticarum pone cellulam oritur. Duas quoque feminas *L. Crisiae* Dom. Lindig cepit. Totius sectionis mares nobis hucusque incogniti.

110. *Eurybia Donna* Nob.

Alis supra fusco-nigris, anticis punctis duobus subcostalibus albis, posticis ramis venae medianae limboque externo maculis rotundatis atris ornato dilute lateritiis, subtus omnibus brunneis, anticis ocello cellulari orbiculari, atro-cyaneo, aurantiaco cincto, posticis ocello elongato multo minore obsoleto in cellula, limbo

*) Dom. Alexander Lindig, Botanophilus, societatis naturae curiosorum Neogranadensis membrum indefessum septemdecim per annos Cordilleras Bogotanas permigravit et extra ditissima herbaria aliasque zoologicas collectiones plus quam octomillia Lepidopterorum specimina Europam reportavit, quorum novas species in hac et in sequentibus diagnosum nostrarum seriebus in lucem proferemus.

externo paginae superioris pallide aurantiaco, maculis sex grossis nigrescentibus seriatis notato. ♂

Cordillerae Bogotanae (Lindig). — Unicum specimen insignis hujus formae accepimus. Magnitudinem *E. Carolinæ* Godt. attingit, sed ad sectionem *E. Salomes* Cram. pertinet.

111. *Necyria Lindigii* Nob.

Alis supra chalybaeo-atris, fascia communis discali arcuata aurantiaca, lilacino nitente, posticis pone eam maculis fusiformibus, eleganter metallico-cyanis, subtus omnibus pallidioribus, fascia supera, sed multo latiore, limbo externo pone eam obscure aeneo-virente, nigro-venato, ciliis posticarum utrinque albo maculatis. ♀

Cordillerae Bogotanae (Lindig). — Venusta haec species *N. Saundersii* Hew. mares expansione aequat; alae latiores, multo minus productae sunt, vena costalis alarum brevior quam in specie dicta et *N. Fulminatrice* Feld., anticarum a vena subcostali bene remota, ramus hujus secundus et tertius magis approximati et a cellula longius distantes, vena discoidalis inferior a superiore magis remota et cellula discoidalis posticarum brevior et angustior. Affinior potius *N. Hewitsonii* Saund. est.

112. *Mesosemia Phelina* Nob.

Alis elongatis, anticis extus valde convexis, posticis indistincte biaugulatis, omnibus utrinque macula basali trigona, altera minore cellularibus, binis vittaformibus infra venam medianam supra obsoletioribus, puncto discali ocello atro subjecto, fascia pone cellulam abbreviata maculisque duabus subapicalibus glauco-albis, subpellucidis, posticis maculis vittaformibus inter venas tribusque cellularibus concoloribus, subtus omnium striga exteriore, interstitiis macularum cellularium anticarumque costae triente basali fulvo-ochraceis, posticis ibidem maculis quatuor marginis externi albis. ♂

Cordillerae Bogotanae (Lindig). — *M. Maenadi* Hew. proxima affinis sed cellulis discoidalibus longioribus et angustioribus alarumque propterea forma optime differt. Facies *Pheli heliconioidi* Boisd. haud absimilis. Specimen unicum expansionem *M. Maenadis*, quam etiam Dom. Lindig ex Andibus Bogotae reportavit, habet.

Ithomlopis Nob.

Antennae gracillimae, filiformes, infra apicem parum incrassatae, omnino squamulis minutis subsetosae. Palpi breves, frontem vix

superantes, adpresso squamosi. Alae ecaudatae, integerrimae elongatae, signaturis Ithomiarum quarundam, vena discoidali inferiore supra medium venulae transversae exeunte, anticae vena subcostali quadriramosa, ramo secundo longe post cellulae extimum emisso, quarto (terminali) in costae apicem excurrente, posticae vena costali brevi, ante costae medium desinente, cellula discoidali brevi, alae medium haud attingente, venula discocellulari infra venam discoidalem fortiter infracta, ramo secundo et tertio venae medianae bene distantibus. Abdomen (σ ris) marginis interni alarum posticarum bitrientem aequans.

Genus eximum *Barbicomi* Godt., quae certe in *Limnadium* pertinet affinitatem, sed characteribus supra dictis manifeste diversum. Diagnosis nostra a *Limnade* Boisd., *Orestiade* Feld., *Phele* Boisd. et *Themone* Westw. species istas faciem *Neriadum* praebentes, distingueat.

113. *Ithomiopsis Corena* Nob.

Alis utrinque fuscis, anticarum maculis tribus discalibus vittaformibus quartaque pone cellulam, posticarum area tota discali pellicide albidis, cano atomatis, illis fascia lata externa arcuata ad costae et marginis interni basin ducta, posticis striga lata exteriore usque ad rami subcostalis primi originem ducta luteo-ochraceis, abdomine fascia laterali ochraceo-lutea. ♂

Nova Granada, in provincia Bogota (Lindig). — *Expansio Neriadis Euterpes* Lin. Color et signatura iis *Ithomiae Corenae*, *Cidoniae* Hew. persimiles sunt.

114. *Ithomiopsis Astrea* Nob.

Alis utrinque fuscis, anticarum plaga discali triangulari, venis tripartita fasciolaque subapicali, posticarum area tota discoidali glauco-albis, subhyalinis, supra omnibus striga submarginali ferruginea, subtus anticarum costa, interstitio plagae et fasciolae strigaque externa usque ad basin marginis interni ducta, posticarum striga externa latiore ad basin protensa, venam totam subcostalem tegente laete ferrugineo-fulvis.

Venezuela, in provincia Merida prope Maracaibo (Dr. Moritz). Coll. Kaden. — Antecedente major est haec species unico specimine capite et abdome carente nobis cognita. Sectionem propriam constituere debet. Alarum forma sat differt ab *J. Corena* supra exposita: Alae anticae angustiores sunt, apice magis productae, margine externo multo minus convexae, posticae vero multo latiores et margine interno

multo longiores, quam in specie dicta, apice haud porrectae sed in margine toto externo bene rotundatae sunt. Cellulae scilicet discoidales multum discrepant in hac specie: Tertia parte longiores sunt, ea anticarum etiam angustior. Ramus subcostalis secundus et tertius alarum anticarum multo magis approximati et rami duo ultimi venae medianae omnium alarum longius inter se distant et propter cellulæ extensionem, ut caeterae venae superiores, breviores sunt. Alarum posticarum vero ramus medianus primus et venae internae longiores sunt, quam in *J. Corena*, quae res cum forma alarum supra memorata nixa. In signaturis et colore species fere *Ithomiam Astream* Cram. (*Floram* Hew.) revocat. Facies imo valde similis est *Arctiidis* quibusdam (e. g. *Hyalurgis*, *Hylesiis*.*)

Athyrtis No b.

Caput mediocre. Antennae validae, costae dimidium vix superantes, sensim in clavam gracillimam incrassatae. Palpi gracillimi, dense squamosi, absque setis. Alae anticae in regione apicali productae, vena costali et subcostali bene distantibus, vena discoidali superiore venae subcostali valde approximata sed libera, inferiore in medio venulae transversae oriente, hac supra venam discoidalem inferiorem fortiter infracta, posticae (♂ris) venula praecostali distinete bifida, vena costali et subcostali sat longe distantibus, vena discoidali paullum infra venulae transversae medium exeunte, cellula discoidali angusta, irregulari, venula scilicet discocellulari intermedia perobliqua, inferiore bene transversa sed haud subrecta, ramo mediano primo et secundo sat arcuatis, hoc a tertio magis remoto, quam a primo. Abdomen (♂ris) in bitriente basali sat attenuatum, alarum posticarum marginem internum dimidio fere superans.

Medium tenere videtur hoc *Danaidarum* genus inter *Eutesin Doubldy* et *Mechanitidem* Ejusd. Habitus robustitate, venarum distributione, antennarum alarumque forma priori, palpis autem et abdominis formatione posteriori similius est. A *Mechanitiide* primo jam aspectu dignoscitur vena discoidali alarum posticarum a vena mediana bene remota (propter venulae transversae inferioris directionem) ramisque medianis multo brevioribus, quae res alas extrorsum minus convexas efficit. Ramus practerea medianus primus et secundus sat flexiles sunt.

*) Dom. Lindig *Moritziae* etiam *paradoxae* Feld. Wien. Ent. Monatschrift V. p. 100 tria specimena integerrima in *Cordilleris Bogotae* prope Fusagasugá in alt. 4800 ped. collegit. Antennae, quae in specimeni venezuelano l. c. a nobis breviter descripto defuerunt, validae sunt, costae dimidium aequant et in clavam elongato-ellipticam, subtus concavam sensim transeunt.

115. *Athyrtis Mechanitis* Nob.

Alis utrinque fulvis, anticis vitta marginis interni, maculis duabus sat magnis discalibus, extus fasciola sulphureo - flavescente pellucida cinctis dimidioque toto apicali pone hanc nigris, fascia pone cellulam obliqua alteraque breviore subapicali transversa sulphureo-flavescentibus, subhyalinis, maculis ante marginem externum binatis, glaucescenti-albis, supra obsoletis, subtus multo majoribus, valde distinctis, posticis serie discali margini externo subparallelia macularum grossarum (fundo ante eam saepius sulphureo-flavescente) margineque ipso angusto, introrsum irregulariter crenato nigris, subtus insuper vitta subcostali subarcuata, colore fundi plus minus interrupta maculaque angulata discali nigris, maculis glaucescenti-albis in margine externo. ♂

Cordillerae Bogotanae (Lindig). — Quatuor specimina ante nos habemus. Faciem exhibent *Mechanitidum* quarundam, expansionem praestant *M. Messatidis* Hew.

116. *Mechanitis Idae* Feld. in litt. (1861).

Alis utrinque saturate fulvis, anticis macula cellulari irregulariter trigona limboque lato terminali introrsum irregulariter sinuato flavescenti quinque maculato nigro-fuscis, spatio interjecto usque ad ramum medianum primum flavescenti quadrimaculato, posticis late nigro-fusco marginatis, omnibus subtus maculis obsoletis submarginalibus punctiformibus nitide glaucescentibus. ♂

Ecuador (Ida Pfeiffer 1855). Coll. Musei Caes. Viennens. *Nova Granada* in provincia Bogotá in alt. 7200 ped. (Lindig) Coll. *Felder*. — Ad sectionem pertinet, quae venam discoidalem superiorem alarum antiarum liberam et inferiorem e medio venulae discoellularis emissam gerit. In colore et signaturis valde similis est *Heliconio Clarae* Fabr.

117. *Dircenna* *) *Panthale* Kollar in litt.

Alis vitreis, nigro venatis, costa margineque externo introrsum undato-sinuato supra nigro-fuscis, subtus fulvescenti-ochraceis, ante hunc maculis albidis vix conspicuis, anticis macula costali alba margineque interno fusco. ♂

*) Generica nomina difficillimarum *Danaidarum* diaphanarum ad praesens secundum cel. Doubleday et reliquos anglicos autores adjicimus. Systematica dispositione adhuc carent. Accuratissimam sed artificiam, in venarum solam conditionem fundatam synopsin cel. Herrich-Schaeffer Correspondenzblatt des zool.-mineral. Ver. zu Regensburg 1862 incepit.

Nova Granada (Sulkowsky) Coll. Mus. Caes. Vienn. — Egregia haec species *D. Duilliae* Hew. proxime affinis est, sed quarta fere parte minor, et vena discocellulari alarum antifarum inferiore subrecta diversa.

118. *Ithomia excelsa* Nob.

Alis anticis utrinque nigricantibus, macula obliqua elongato-tetragona per cellulam, fasciola subapicali submaculari, maculis duabus majoribus infra eam, maculis octo seriatis ante marginem sulphureo-hyalinis, posticis testaceo-fulvis, vitta discali, in ♂ re multo latiore, albido-sulphurea, pellucida, limbo apicis supra breviore, subtus ramum medianum primum attingente, maculis albis, punctiformibus notato nigro, subtus limbo costali nigro maculaque alba basali in eo.

Cordillerae Bogotanae prope Pandi, in alt. 5600 ped., in sylvis (Lind.) — Inter omnes nobis notas congeneres robustissima ista permagna species est. Faciem *Olyradis*, cuius antennas habet, praestat. *J. Peridia* Hew. affinis est, sed plus quam tertia parte major. Venarum distributio in his speciebus valde peculiaris apparet. Alae posticæ ♂rum cellulam valde irregularis habent formæ. Rami duo subcostales in regione apicali alae oriuntur, primus costæ valde approximatus est, interstitium eorum transversum, quare secundus ramus vena quasi discoidalis superior apparet; venula discocellularis perobliqua et longa est, vena discoidalis genuina fere in medio ejus egreditur et propter cellulae extensionem, sicut et rami subcostales, sat brevis est. Rami mediani longe et subaequaliter inter se distant. In *J. excelsa* vena subcostalis primaria in dimidio suo basali sat deflexa. In utraque specie vena costalis a costa longe distat, deflexa apparet, in specie nostra cum vena subcostali parallela. In *J. Peridia* venula discocellularis inferior multo magis obliqua est, vena ideo discoidalis ramus quartus medianus videtur. Feminam *J. excelsae* unicam cognoscimus. In hac venae alarum posticarum conditionem habent valde alienam. Vena subcostalis a costa multo longius remota est, cellula regularem habet formam, rami subcostales enim pone medium costæ e trunculo communi brevissimo oriuntur, venula transversa subrecta est, supra venae discoidalis originem leviter sed distincte infracta, in parte inferiore extrosum convexa. In utroque sexu, sicut et in *J. Peridia* (♂), praesertim in hac plica costalis et subcostalis distinctissimæ, venaeformes sunt, illa in parte sua apicali cum vena costali contigua. — Alarum antifarum vena subcostalis primaria in utraque specie rectissima est, cellula discoidalis ad angulum superiore acutissima et venula discocellularis distinctissime angulata. In *J. excelsa* venula haec superior multo profundius infracta, inferior hanc ob

causam multo obliquior est. Vena discoidalis inferior apud utramque supra medium interstitii ab angulo ad ramum medianum tertium oritur. Interstitium rami mediani secundi et tertii in *J. excelsa* transversum est.

119. *Ithomia Susiana* Nob.

Alis supra nigris, subtus ferrugineo-fulvis, utrinque anticarum vittula basali, macula flexa cellulari, duabus inter ramos medianos primores aliisque sex inaequalibus in limbo apicali, posticarum fascia perobliqua infra cellulam, submaculari, glauco-albidis, pellucidis, subtus areolis nigris interjectis, anticis macula subcostali tribusque supra obliteratis in margine apicis albis, posticis maculis plus minus bipartitis marginalibus, supra minoribus albis, subtus anticarum margine, posticarum limbo externo introrsum crenato nigris, his macula insuper magna in cellula nigra, antennis corporeque nigris, hoc subtus glauco-albicante.

Nova Granada in provincia Bogotá, prope Pandi, in alt. 5600 ped. apud sylvarum margines apricosos. — Plura eximiae hujus *Ithomiae*, quae certe maxima inter omnes congeneres hucusque descriptas, specimina Dom. Lindig cepit. Colore et facie *J. Attaliae* Hew. subsimilis est. Proxime accedit *J. Virginianae* Hew. (Exot. Buttl. Vol. I. gen. tab. XVIII. fig. 112*) sed extra staturam multo majorem hisce characteribus differt: In ♂re vena discoidalis alarum anticarum in medio et simul in angulo venulae discoellularis oritur, interstitium rami mediani secundi et tertii harum alarum brevius et magis transversum, margo costalis alarum posticarum multo magis dilatatus, ante exitum plicae costalis subito declivis, ita, ut ala a dicto loco usque ad rami subcostalis secundi apicem truncata appareat; vena costalis earundem alarum subcostali sat approximata et deflexa, ramus venae subcostalis primus venae costali parallelus ante medium alae emittitur, cellula quare discoidalis multo brevior fit, interstitium rami dicti et secundi multo longius et magis longitudinale est, vena discoellularis multo levius infracta; vena discoidalis statim supra angulum hunc oritur et rami mediani minus inter se remoti, intermedius tertio propior quam primo. Cellulae discoidalis alarum posticarum forma in hoc sexu valde similis est ei in genere *Tithorea* conspiciendae. — In femina venula discoellularis alarum anticarum supra medium suum infracta est et vena discoidalis supra angulum hunc egreditur

*) Cel. Hewitson hanc figuram feminam *J. Virginianae* Boisd. l. c. IX. fig. 54 putat, sed Dom. Lindig marem etiam cepit, qui cum femina omnino convenit. Mexicana illa species certe diversa est et nomen proprium accipere debet (nomen enim „Virginia“, ut ipse cel. Hewitson dicit, antea jam ab eo applicatum fuit).

In aliis posticis, ut in congeneribus vena costalis a subcostali multo magis distat et jam pone costae medium excurrit, cellula discoidalis hanc ob causam multo angustior et propter interstitium ramorum subcostalium magis longitudinale regularior est.

120. *Aeraea Eresia* Nob.

Alis supra fulvis, anticarum venis late nigro-fusco marginatis, litura cellulari, striga exteriore angulata cum limbo externo concolore connexa, costa margineque interno nigro-fuscis, posticis venis, litura cellulari plicisque in dimidio postico nigrescentibus, margine interno albido, his subtus dilute brunneis, nigro venatis et plicatis, maculis duabus basalibus lateritiis fasciaque introrsum sinuata pone cellulam, albescente. ♂

Nova Granada in provincia Bogotá (Lindig). — *Egregia* haec species sectioni *A. Thaliae* Lin. accedit, sed alarum forma et facies *Eresii* quibusdam (*Emerantiae*, *Perillae* Hew.) similiores. Alae anticae angustiores sunt, in medio marginis externi convexae, posticae apice subproductae, marginem internum externo plus quam triente breviorem et marginem posticum bene rotundatum habent. Vena subcostalis primaria alarum paullulum cellulae extimum versus sursum flexa, ramus ejus secundus et tertius in alis anticis bene distant. Rami mediani omnium alarum fere aequidistant. Abdomen alas posticas dimidio superat. Unicum specimen collectum expansionem habet *E. Pernae* Hew.

121. *Aeraea Trinacia* Nob.

Alis supra saturate fuscis, chalybaeo paullum tinctis, anticis plaga basali, maculis tribus inaequalibus composita, subtus venis solum divisa, dilute cinnabarina, subtus anticarum limbo terminali, posticarum pagina tota nitenti albido-brunneis, fusco venatis et plicatis, his basi dilutioribus, maculis quatuor baseos cinnabarinis, fascia discali diffusa fuscescente. ♂

Cordillerae Bogotanae (Lindig). — Ad sectionem *A. Cullianirae* Hübn. pertinet, magnitudinem vero *A. Hylonomes* Doubldy paullum excedit. Alae multo breviores sunt, posticae optime rotundatae earumque vena discoidalis in medio venulae transversae emissa.

122. *Aeraea Callianthe* Nob.

Alis supra nigro-fuscis, chalybaeo tinctis, singulis plaga basali dilute chalybaeo-caerulea, ea anticarum plaga pallide lilacina nigro venata obtecta, litura discocellulari nigra, subtus anticis pallidioribus, plaga supera sed latiore, limbo terminali ochraceo-

brunneo, fuscō asperso, venis plieisque nigrescentibus diviso, posticis venis plicisque nigris, plus quam triente basali ochraceo-flavo, disco lilacino tincto, regione externa ochraceo-brunnea, fuscō aspersa. ♂

Nova Granada, in provincia Bogotá (Lindig) — *Per pulchra haec species A. Amidae* Hew. (forte varietatis *A. Callianirae* Hübn.) magnitudinem habet. Alae anticae breviores sunt, cellula earum brevior, vena subcostalis primaria rectissima, ramus ejus secundus cellulae multo magis approximatus est, posticae margine interno breviores, apice vero multo magis productae sunt.

123. *Heliconius Euphone* Kollar in litt.

Alis utrinque fulvis, anticis vittula basali, maculis quinque discalibus (prima saepius vittulae adnata) extimoque lato nigris, fascia interjecta, intus diffusa flavescente, posticis vitta subcostali, fascia discoidali maculis diversae formae constanti, maculis marginis postici marginaque toto externo angustissimo, dentato nigris, supra plus minus confluens, subtus fundo sulphureo saepius impositis, ibidem vitta subcostali paginae superae macula flavescente interrupta. ♀

Nova Granada, apud flumina Orinoco et Meta, in locis apricis apertis sylvarum. (Sulkowsky). Coll. Mus. Caes. Viennens. In provincia Bogotá prope Fusagasugá in alt. 4800 ped. (Lindig). Coll. Felder. — Ad sectionem *H. Eucrates* Hübn. pertinet.

124. *Heliconius Messene* Nob.

Alis supra nigro-fuscis, fascia lata obliqua discali, intus et extus leviter sinuata, inter ramos medianos primores (praesertim in ♂re) profunde incisa, in medio maculis tribus grossis fundi colore ornata, dimidio ejus antico fulvo, postico sulphureo-flavo, posticis maculis nonnullis ante marginem apicalem fulvis in ♂re majoribus, nigro foetis, subtus omnibus ut supra, sed multo pallidioribus, posticarum costa cinnamomeo-fulva.

Cordillerae Bogotanae prope Fusagasugá in alt. 4800 ped. (Lindig). — Ad sectionem *H. Eucrates* Hübn. numeranda.

125. *Heliconius Ithaca* Nob.

Alis supra nigro-fuscis, anticis plus quam dimidio interno fulvo, fascia adnata venis divisa, extrorsum leviter crenata, macula cellulari nonnullisque apicalibus et analibus plus minus obsoletis sulphureo-flavis, vittis duabus basalibus latis, postice obtusis,

macula grossa infra ventram discocellularem binisque minoribus inter ramos medianos nigris, posticis macula fulva, sulphureo atomata ad canalis interni basin, vitta discali atomaria, cinnamomeo-fulva, maculis nonnullis externis striolisque longitudinalibus in margine (binis inter venas) sulphureo-flavescensibus, his subtus margine toto costali fulvo, maculis tribus ante apicem sulphureo plus minus atomatis strigisque marginalibus paginae superioris longioribus, marginem internum versus crescentibus glauco-albis. ♂ ♀

Cordillerae Bogotanae (Lindig). — *H. Eucomae* Hüb. accedens.

126. *Heliconius Cassandra* Nob.

Alis supra chalybaeo-atris, subtus pallidioribus, anticis utrinque fasciola maculari pone cellulam maculisque binatis submarginalibus in serie curvata digestis albis, subtus costa ad basin cinnamomea strigaque clavata cellulari argenteo-cana, posticis supra fascia exteriore, maculis plus minus bipartitis composita sulphureo-flavescens punctisque cinereis, sulphureo aspersis ante marginem, subtus costa, fascia abbreviata per obliqua discali, antice sulphureo colorata argenteo-albidis, pone cellulam fascia curvata cinnamomea et post hanc fascia paginae superioris sed argenteo micante, maculis antemarginalibus multo majoribus. ♂

Cordillerae Bogotanae (Lindig). — *H. Hecuba* Boisd. Hew. affinis, sed expansione majore, alis multo magis porrectis et latioribus cellulaque discoidali alarum posticarum multo longiore (scilicet etiam latiore) extra discrimina supra conscripta primo intuitu recognoscitur. Valde similis appareat *Tithorea* *Humboldti* Guér. Imprimis observandum hanc ditissimi generis sectionem, quae in forma, colore et signatura alarum tantam cum *Tithoreis* nonnullis praebet analogiam (cf. Hewitson, Exotic Buttl. Vol. II. ad gen. tab. IV.) oculos etiam dense hirsutos habet, qua re ab omnibus congeneribus descriptis discrepat.

127. *Eresia Castilla* Nob.

Alis ♂ supra nigris, anticis fascia abbreviata discali miniacea, ♀ nae omnibus nigro-fuscis, anticis fascia abbreviata, sed multo latiore pallide ochracea, posticis plaga discali pallide cinnabarina, venis nigris divisa, extus radiatim insecta, his subtus obscure fulmato-canis, ♀ nae pallidioribus nigro venatis et plicatis, limbo costali ad basin ochraceo atomato, maculis binis sordide miniaceis triangularibus prope basin.

Cordilleræ Bogotanae, prope Pandi in locis apertis apries in alt. 5600 ped. (Lindig) — *E. Perillæ* Hew. affinis est peculiaris haec species colorem et signaturas *Acræarum* quarumdam, faciem vero *Euterpes* *) exhibens.

128. *Eurema Lindigii* Nob.

Alis supra ferrugineis, anticis apice valde productis, macula cellulari, fascia marginaque posticis in aream apicalem confluis nigro-fuscis, macula tripartita pone cellulam, altera mediana tertiaque minima exteriore vitreis, lunulis duabus minutis subcostalibus albis prope apicem, posticis in regione anali valde porrectis, breviter caudatis, maculis tribus exterioribus, totidem posterioribus, lunulis tribus marginis externi strigaque marginis postici nigrescentibus, subtus omnibus basi ferrugineo luteoque variis, striga communi pone cellulam plumbeo-caerulante, in anticis refracta, in posticis paullum flexuosa, extus saturate ferrugineo marginata, anticis maculis superis, limbo externo aeneo-brunneo, ferrugineo nebuloso, striga subrecta alteraque valde torta externis lilascentibus, duabus submarginalibus valde undatis ferrugineis, posticis zona lilascenti-grisea, sericeo nitente pone strigam, ocellulis indistinctis, brunneo-lilascentibus, iride aeneo-brunnea in loco macularum paginae superioris. ♂

Nova Granada, in provincia Bogotá (Lindig) — Affinis *E. Kefersteinii* Doubldy, sed major et forma alarum supra memorata facile jam distinguenda.

129. *Eunica Olympias* Nob.

Alis dilatatis, anticis subdentatis, apice truncatis, posticis repando-dentatis, omnibus utrinque ciliis albo intersectis, supra violaceo-fuscis, anticis area irregulariter trigona dimidium basale tegente eleganter nitenti-cyanea, posticis basi cyaneo parum atomatis, his subtus nitenti brunneis, fuscis, glauco conspersis, maculis

*) *Euterpe exclamacionis* Kollar, cuius permulta specimina Dom. Lindig e Cordilleris Bogotanis attulit, genus novum juxta *Eresiam* et *Synchloëm* constituit: *Gnathotrichæ* Nob. Differt ab his palpis multo longius setosis, ramis subcostalibus alarum antistarum fere aequidistantibus, vena discoidali alarum antistarum superiore a vena subcostali bene remota venulaque discocellulari superiore et intermedia perobliquis, sublongitudinalibus. Antennæ clava pyriformi instructæ costæ dimidium paullum excedunt. Ramus quartus alarum antistarum subcostalis infra costæ apicem excurrit. Facies *Euterpis* persimilis est, forma alarum et color paginae superioris *Eteonæ Tisiphonæ* Hübn., quam cel Boisduval ad *Euterpen* etiam numeravit. Ad *Satyridas* vero haec pertinet in *Pronophilæ* Westw. affinitatem, ut in *Nymphalidarum* nostra synopsi (Acta A. Nat. Curios. Vol. XXVIII). jam diximus.

duabus basalibus tertiaque majore costali albidis, aliis in regione basali, striga flexuosa pone cellulam, maculis sublunatis pone discum (singula ocellum orbicularem fundi colore, sulphureo pupillatum ferente) strigaque submarginali flexuosa, maculis subtrigonis castaneis diffusis intus limbata atris. ♂

Nova Granada, in provincia Bogotá prope Villeta, in alt. 3200 ped. in locis apricis (Lindig). — Insignis haec species *Eunicam* genus cum *Cybdelide* conjungit. Palporum longitudine, alarum forma et robusta facie *Cybdelidibus* similior est. In venarum distributione sectioni *E. Alemenae* Doubldy proxima. In paginae inferioris signaturis *Mysceliae* speciebus haud absimilis est. Observandum, squamas in apice infero alarum anticarum et pagina inferiore posticarum valde conspicuas et patentes apparere. In Brasilia meridionali valde similis volat forma. Expansio speciminis unici eam *E. Caresae* Hew. aequat.

130. *Eunica Araucana* Nob.

Alis anticis graciliter subfalcatis, apice valde productis, omnibus supra saturate fuscis, extimo dilutioribus, anticarum vitta lata discoidali limboque postico connexis, posticarum vittula discali areae magnae limbi externi adnata eleganter splendenti cyaneis, in certo situ apparentibus, subtus omnibus brunneis, anticis disco fusco vario, litura cellulari, fascia obliqua exteriore limboque apicali maculis tribus striolaque fuscis notato multo dilutioribus, posticis lilacino nitentibus, maculis duabus basalibus, litura disco-cellulari, fascia discali irregulari maculari refracta strigaque flexili undata externa saturate fuscis, ocellis duobus interjectis magnis atris, albo-caeruleo pupillatis, iride late ochraceo-brunnea, nigro-fusco cincta, superiore multo majore, inferiore sesqui-altero. ♂

Nova Granada, in provincia Bogotá prope Villeta in alt. 3200 ped. ad ripas. (Lindig). — Sectioni *E. Celmae* Hew. proxime accedit, sed alae anticae ad apicem valde porrectae posticarumque angulus analis magis productus pulcherrimam speciem distinguunt. Magnitudo speciminis unici fere *E. Caralidis* Hew.

131. *Siderone Vulcanus* Nob.

Alis supra piceo-nigris, anticis disco violaceo parum tincto, fascia lata perobliqua, costae dimidium basale occupante, basin vero alae haud attingente, coccinea, posticis maculis duabus subcostalibus rubris aliisque atomariis plumbeis prope marginem posticum, subtus omnibus canis, anticis plaga ad costae basin alteraque apicali

maculis albis laceratis notata rufo-ferrugineis, postoris fascia basali, altera pone cellulam caerulescenti perspersa bifida atris, apice rufo-ferrugineo. ♂

Nova Granada, in provincia Bogotá prope Muzo. (Lindig). —

S. Marti Bat. Hew. valde affinis est haec species et mutatio forte geographicā, sed expansio quarta parte major, quam figura Hewitsoniana. Fascia alarum anticarum alienam habet formam, longior est et extimum ejus inferius margini postico magis approximatum.

132. *Siderone Thebais* Nob.

Alis supra piceo-nigris, anticis violaceo tinctis, fascia lata basali perobliqua alteraque pone cellulam coccineis, punctis duobus subcostalibus albis, posticis fasciola pone cellulam, ramum medianum tertium vix tangente, erythrina, omnibus subtus lilascenti-canis, anticis nebulis in cellula ferrugineis, apice albo ferrugineoque variegato, posticis macula basali nigricante, striga atra pone cellulam, intus atomis caerulescentibus limbata, dein fascia valde refracta saturate ferruginea, striga externa undata nigricante, umbra apicali ferruginea. ♂

Cordillerae Bogotanae, prope Pandi in alt. 5600 ped. (Lindig)

— Forma geographicā *S. Galanthidis* Cram. surinamensis, fascia basali alarum anticarum longiore fasciolaque posticarum multo breviorē primo aspectu dignoscenda. Specimen unicum majus est, quam *S. Galanthis* in collectione antiqua Lennepiana, a nobis comparata.*

133. *Pavonia Telamonius* Nob.

Alis anticis supra ochraceo-luteis, costam juxta brunneo atomatis, limbo externo introrsum sat obliquo nigricante, posticis plumbeo-canis, dimidio externo nigro, in certo situ omnino saturate cyaneo splen-

*) Dom. Lindig prope Muzo Novae Granadae eximiam speciem collegit, quam cel. Hewitson Exot. Buttfl. Vol. II. sub nomine „*Siderone Archidona*“ depinxit. Genus autem certe proprium in serie systematica formare debet. Ab omnibus *Siderones* speciebus differt antennis validioribus, pro portione alarum anticarum multo brevioribus, minus distinete clavatis, palpis longioribus, minus dilatatis, alis multo longioribus, anticis margine interno haud excisis, costa ad basin dilatata, posticis apud angulum analem haud lobatis, vena subcostali primaria alarum anticarum a vena costali longius distante, ramo ejus ultimo (i. e. trunco rami tertii et quarti) a cellulae extimo multo longius remoto, venis discoidalibus earumdem alarum e trunculo communi egredientibus, cellula praecostali distinctissima in alis posticis apparente, ramo mediano secundo et tertio harum bene distantibus (i. e. interstitio separatis, quae res cellulae alienam formam efficit), primo venisque internis valde flexis. Venarum discoidalium in alis anticis conditione ab omnibus reliquis *Rhopaloceris* nobis cognitis differt. Propterea nomen „*Coenophlebia*“ hocce pro genere proponimus.

dentibus; subtus omnibus fulvescenti-cervinis, fere omnino nigro alboque reticulatis, anticis figuris distinctis cellularibus, strigaque cellulam stringente albidis, nigrescenti terminatis, strigis duabus externis nigricantibus (anteriore undulata), posticis macula costali ocellari, altera minore inter venam subcostalem et discoidalem fundi colore ocelloque pavonino suborbiculari, postice subtruncato atro, iride pallide flavida, ochraceo atroque cincta, striga exteriore undata nigra. ♂

Cordillerae Bogotanae, prope Fusagasugá (Lindig) — *P. Teuero* Lin., cuius magnitudinem habet, sat affinis, sed a forma ejus surinamensi extra characteres supra scriptos alis anticis apice minus productis ramoque earum mediano tertio longiore, margine quare externo minus concavo facile dignoscenda est splendida ista species. Duos mares Dom. Lindig nobis misit. A *P. Prometheo* Koll., cui pagina superior alarum posticarum valde similis, forma alarum, anticarum colore et pagina inferiore jam nostra differt species.

134. *Pavonia Lycomedon* Nob.

Alis supra obscure fuscis, ♂ris anticis plaga magna discali violaceo-cyanea, extus fascia angusta bifida brunnea limbata, posticis ejusdem area exteriore, in certo situ violaceo-cyanea, ♀nae omnibus triente basali cano, postice pallide cyaneo limbata, anticis plaga trigona discali fasciaque exteriore, angusta fulvescenti-ochraceis, subtus omnibus utriusque sexus dilute cervino-brunneis, anticis fascia subbasali, macula majore costali albidis, figuris nigris rivularibus cellularibus, striga pone cellulam, altera exteriore binisque submarginalibus, sat flexilibus nigris, posticis basi marginaque interno fuscis, albo reticulatis, dimidio externo fusco, cervino marmorato, striga subbasali lineaque cellularibus rivularibus nigris, ocello caeco costali alteroque sesquialtero mediano fundi colore, nigro cinctis, striga externa obsoleta nigrescente, subundata, extus albido limbata.

Cordillerae Bogotanae (Lindig) — Forma geographica *P. Automedontis* Cram. surinamiae, sed statura majore, alis anticis apice, posticis angulo anali multo magis porrectis facile dignoscenda. Alarum formam similiorem praestat varietas brasiliensis.

135. *Morpho Iphiclus* Nob.

Alis supra obscure fuscis, fascia communi aeneo-virente, anticarum costam versus multo angustiore incisaque, posticarum dimidium totum basale tegente, maculis externis rhombis seriatis aliis-

que prope marginem, in anticis elongato-rhombeis, in posticis angustatis, inflexis anticarumque maculis obsoletis, luteis pone discum, subtus omnibus lilacino-brunneis, margaritaceo nitentibus, striga dupli marginali fulva, anticis lituris duabus cellularibus margaritaceo-albidis, dimidio interno fusco, maculis tribus triangularibus totidemque majoribus prope marginem posticum albido-brunnescentibus ornato, ocellis quatuor exterioribus, subellipticis, posticis maculis quatuor costalibus, duabus cellularibus, fascia interiore perobliqua alteraque angustiore submarginali, valde undata, obsolete fulvo maculata margaritaceo-albidis, ocellis sex, tertio oblitterato, reliquis plus minus ferri equini formam exhibentibus. ♂

Nova Granada, in provincia Bogotá prope pagum Muzo. (Lindig) — *M. Metello* Cram. proximus affinis, sed quarta parte major et in pagina superiore *M. Herculi* Dalm. valde similis.

136. *Antirrhaca Philaretes* Nob.

Alis supra brunneis, anticis strigis binis exterioribus, in ♀ na distinc-tioribus, undatis, puncto interjecto albo, posticis regione tota postica nigricante, violaceo parum tincta, maculis quatuor rotundatis, nitenti caeruleis pone discum, in ♂ re plus minus obsoletis, subtus omnibus multo dilutioribus, anticarum umbra externa, posticarum fascia diffusa pone discum limboque externo obscure ferrugineis, striga communi subbasali fusca, altera exteriore albida, intus fusco marginata in anticis subrecta, ad angulum internum cum linea submarginali fusca convergente, in posticis abbreviata, ocel-lum medianum atrum pertingente, in parte media oblitterata, utroque extimo cum striga nigro-fusca limbali contigua, maculis duabus interjectis caeruleo-albis, anticis striga cellulari prope basin, posticis maculis tribus basalibus lituraque discocellulari nigro-fuscis, ocello secundo minore, atro inter ramum medianum primum et secundum, striga marginali brunnescente flexuosa, albido passim colorata.

Cordillerae Bogotanae (Lindig) — *A. Philocteti* Cram. affinis, minor autem, alis magis porrectis posticisque profundius repandis extra characteres supra datos discrepans. Dom. Lindig unum par nobis commisit. Mas alas anticas apud angulum internum magis sinuatas et maculam internam squamis depressoformatam latiore, quam *Philoctetes* et squamis testaceis obtectam habet. Saepissime fortasse abstersae sunt istae squamae, omnia enim nostra specimina

Philoctetes in Surinamia capta dictam maculam squamis depressis brunneis constitutam ostendunt.

137. *Antirrhaea Philopoemen* Nob.

Alis supra brunneis, anticis striga exteriore maculari punctisque duobus subapicalibus albis, striga externa vix undulata fusca, margine pone eam rufescente, posticis dimidio extero nigricante, violaceo parum tincto, maculis sex nitenti caeruleis, plus minus ellipsoideis pone discum (illa inter ramos medianos ultimo sita majore) strigaque rufescente marginali passim albida, subtus omnibus multo dilutioribus, dimidio extero saturate ferrugineo, striga communi subbasali fusca, altera exteriore multo latiore albicante, intus nigro-fusco marginata, ab anticarum costa usque ad venam internam superiorem posticarum extensa, in anticis subrecta, ad angulum internum cum linea submarginali fusca convergente, in posticis inter ramum medianum secundum et tertium dilatata ocellumque atrum ovalem et inter ramum primum et secundum alterum multo minorem ferente, extus striga nigro-fusca a ramo subcostali primo usque ad plicam medianam tertiam sat longe distante cincta, maculis binis interjectis caeruleo-albis, anticis striga cellulari prope basin, posticis maculis tribus basalibus nigro-fuscis, striga marginali flexuosa, albida, fulvo passim tincta. ♂

Cordillerae Bogotanae prope Villeta in alt. 4800 ped. (Lindig)
— Plures feminas Dom. Lindig collegit. Valde affinis species haec est praecedenti, sed signaturis paginae inferae alarum posticarum facile dignoscitur. Major est quam *A. Philoctetes* Cram.

138. *Antirrhaea Lindigii* Nob.

Alis supra fuscescentibus, anticis striga exteriore subrecta maculisque duabus subapicalibus albis, posticis strigis duabus externis parallelis flexuosis nigro-fuscis, macula exteriore binisque cuneiformibus (singula ocello fundi colore perforata, superiore multo majore) interjectis albidis, striga flexuosa marginali ochraceo-alba, subtus omnibus multo dilutioribus, anticarum umbra externa, posticarum fascia discali diffusa marginaque externo obscure ferrugineis, striga communi subbasali fusca, altera exteriore multo latiore albicante, intus nigro-fusco marginata, ab anticarum costa usque ad venam internam superiorem posticarum extensa, in anticis subrecta, ad angulum internum cum linea submarginali fusca conver-

gente, in posticis sub ramo mediano tertio et inde usque ad ramum primum in triangulum irregulare dilatata, ibique ocellis duobus atris, ochraceo cinctis ornata, extus striga nigro-fusca, a ramo subcostali primo usque ad plicam medianam tertiam sat longe distante cincta, maculis duabus interjectis albis, anticis striga cellulari prope basin nigra, posticis maculis tribus basali-bus nigris, striga marginali flexuosa albida, fulvo passim tincta. ♂
Nova Granada, in provincia Bogotá ad fodinas smaragdinas pagi Muzo (Lindig) — Unicam feminam hujus speciei Dom. Lindig cepit. Valde affinis est antecedentibus, sed major, alarum anticarum margine externo recto, apice minus producto, posticis profundius repandis caudulaque earum longiore bene distincta.

139. *Antirrhaea Geryon* Nob.

Alis anticis apice acutis, posticis angulatis, subcaudatis, supra omnibus fusco-brunneis, maculis obsoletis fulvescentibus in margine, singulis ocellis tribus exterioribus magnis, nigro-fuscis, fulvescenti cinctis, grosse albo pupillatis, inferioribus binis conjunctis, posticarum superiore sesquialtero, subtus omnibus dilute ochraceo-brunneis, dense fusco et ferrugineo variegatis, striga communi pone cellulam ferruginea intus diffusa, fusco limbata, pupillis ocellorum superiorum solis relictis. ♀
Cordillerae Bogotanae. (Dom. Lindig) — Eximia haec species, in unica femina collecta, propriam constituere debet sectionem inter *A. Philoctetem* et *Archaeam* Hüb. quasi medium, huic vero affiniorem. Sectura alarum posticarum et venarum in iis distributio fere ut in *Philoctete*, costa vero, ut in *Archaea*, multo longior et apex magis productus, margo haud repandus, sed undatus. Palpi pilososquamati sunt, vena discoidalis inferior alarum anticarum supra medium venulae transversae oritur. Vena interna harum magis abbreviata est, quam in *H. Archaea*, margo autem internus ad apicem vix truncatus et ramus medianus primus magis deorsum directus, fere in angulo interno desinens. Apex anticarum acumen prominulum format. Textura alarum ut in *H. Archaea* sat tenera.

140. *Taygetis Calliomma* Nob.

Alis posticis acute repando-dentatis, supra omnibus fusco-brunneis, subtus anticis pallidioribus, parum lilascentibus, costa nigro variegata, dimidio externo fuscescente, fasciis duabus macularibus albidis ornato, posticis dilute brunnescentibus, lilacino suffusis, dense ferrugineo albidoque variegatis, striga subbasali valde flexuosa, fascia discali valde maculari, striga externa flexuosa tertiaque

marginali undata ferrugineo-brunneis, maculis sex pone fasciam ocellaribus, ochraceo-luteis, prima et sexta omnium minimis, obsoletis, secunda et quinta elongata pupillam nigram argenteo notatam includentibus, intermediis macula argentea notatis, linea antemarginali obsoleta fulvescente, antennarum clava dimidio basali albido. ♂

Cordillerae Bogotanae (Lindig) — Unicus per pulchrae speciei mas captus est. *T. Andromeda* Cram. tertia fere parte minor est. Sectionem propriam constituit species, cellula discoidali alarum anticarum longiore et angustiore, venula discocellulari earum intermedia introrsum valde convexa, vena costali alarum posticarum ante costae medium excurrente, magis flexili margineque harum profundius dentato distinctam.

141. *Daedalma Dorinda* Nob.

Alis acute repando-dentatis, anticis apice valde producto, posticis costa ad apicem convexa (praesertim in ♀ na), omnibus supra nitide brunneo-fuscis, excisuris, anticarum vena mediana, maculis duabus subcostalibus aliisque exterioribus subseriatis, posticarum serie duplii macularum pone cellulam sulphureo-flavis, subtus anticis violaceo-fuscis, vena mediana sulphureo limbata, maculis exterioribus superis sed multo majoribus, maculis tribus argenteis ad apicem marginis costalis, ocellis tribus minutis subapicalibus atris, pone eos striola atra cirrosa in apice serpentino-viridi, posticis saturate serpentino-viridibus, extus violaceo suffusis, disco atro vario, striga subbasali, macula grossa intra cellulae extimum strigaque altera pone cellulam irregularibus argenteo-albis, pone hanc ocellis novem ochraceo-brunneis parvulis, iride plus minus sulphurea, secundo et octavo seriem excedentibus, striga submarginali valde cirrosa atra, extus albido-virenti cincta, lunulis angulatis ante marginem perangustis albido-viridibus, excisuris marginis albis.

Cordillerae Bogotanae prope Villeta in alt. 3200 ped. (Lindig) — *D. Doraetae* Hew. affinis est eximia haec species, sed extra formam alarum et alia discrimina supra memorata, cellula discoidali alarum anticarum latiore venulaque discocellulari superiore posticarum breviore, ramis ideo subcostalibus a basi magis remotis, palpis breviribus, magis arrectis, brevius setosis, articulo tertio eorum pro portione longiore capiteque multo minus comoso differt. Tria cepit Dom. Lindig specimina. Majora sunt quam *D. Doraete* Hew. in pluribus collecta speciminibus masculinis. Juxta volant ambae species.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Monatsschrift](#)

Jahr/Year: 1862

Band/Volume: [6](#)

Autor(en)/Author(s): Felder Cajetan Freiherr von, Felder Rudolf

Artikel/Article: [Lepidoptera nova Columbiae diagnosibus collustrata.](#)
[409-427](#)